



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt V. Lotharingi sensus: adhibita Hispanis officia Molinei Senatoris.
Perturbatio in coetu, Episcoporum Guadicensis & Aliphensis causâ. Rex
Bohemiae Romanorum Rex renuntiatus. Regis Nauarrae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

Et quoniam aduenerat Romam missus à Rege Catholico Aloysius 1562. Auila^s, quibusdam in mentem inciderat, ab eo curatum iri, vt Pontifex impertiret Philippo appellationem Imperatoris Indiarum, tamquam splendidum titulum ad illius litis victoriam. Scripsit Lanfacus, nihil id allaturum detrimenti prærogatiuæ sui Principis, Galliarum siquidem Imperatorem, qui superiorem sibi in terris neminem agnoscebat, & cuius maiores Imperium in Occidente condiderant, numquam in Europa nouo Indiarum Imperatori cessurum: præterquam quòd fama erat, à Leone X. cum Bononiæ cum Francisco Primo conuenit, fuisse illi eiusque successoribus subditum ius Imperij Constantinopolitani: sed verisimilia non videri in prudenti ac virtutis studio Philippi animo ea consilia, per quæ ipsius amplitudini nihil accessisset.

1562.
Litteræ Lanfaci ad Infulanum, 18. Nouemb. 1562.

17 Pontifex auditâ Gallorum duritie, rescripsit^u, eam haud inopinatum sibi accidisse: se quidem voluisse tabellarium illum mittere, potius quòd sibi aliisque satisfaceret, extrema quæque periclitatus, quàm ob vllam spem rei consequendæ: aliud sibi scribendum ad Legatos non occurrere, nisi velle se, vt contestationes, si quas ministri Hispanienses facerent, ab ipsis admitterentur: ceterum sibi certò persuaderi, Regem Catholicum pro sua probitate ac religione suas omnes priuatas rationes posthabiturum bono publico, cui nollet ab huiusmodi inaniis obiecem opponi.

Litteræ Borromæi ad Legatos in communi, & ad Mantuanum, 5. Decembris 1562.

Enimuerò mirum foret id re ipsa contingere inter cordatos viros, nisi tam sæpè contingeret, cum ad diluendam admirationem magis valeat consuetudo, quàm ratio.

C A P V T V.

Lotharingi sensus: adhibita Hispanis officia Molinei Senatoris. Perturbatio in cœtu, Episcoporum Guadicensis & Aliphensis causâ. Rex Bohemiæ Romanorum Rex renuntiatus. Regis Nauarræ obitus.

DAbatur interim ardentè opera propriis Synodi argumentis^a. Lotharingus antequam verba faceret de Canone in controuersiam adducto, aiebat, velle se cunctos Episcopos præter suos audire, singulorumque sententias diligenter obseruare. Vnde oriebatur opinio, illi esse in animo, se quasi arbitrum Concilij gerere, adeoque sententiæ suæ dictionem differre, donec certus esset, mentis suæ declarationem vim quasi decisionis habituram.

Habetur præsertim in scripto Vicecomitis ad Borromæum, vltimo Nouemb. 1562.

Atque

Historiæ
Concilij Tridentini
Lib. 19. Cap. 4.
1562.

1562.
b Epist. Vice-
comitis ad
Borromæum,
eodem die.

c Variæ litte-
ræ per eos
dies Viceco-
mitis &
Gualterij.

d Scriptum
Vicecomitis
iam citatum.

e Litteræ
Gualterij ad
Borromæum,
26. Nouem-
bris 1562.

f Litteræ
Gualterij ad
Borromæum, vlti-
mo Nouem-
bris 1562.

Atque hanc in se persuasionem nonnulli confirmabant, ob ingentem
lætitiâ, quam ille præ se tulit, quòd nuntiaretur^b, tres alios ex Epi-
scopis Gallicanis iam Brixiam peruenisse, quasi proximam appen-
dicem potentia suâ. Semel quoque Musottus, dum nescio quid
nomine Seripandi illi nuntiaret, apud ipsum reperit cunctos Præ-
sules ac Theologos sui comitatus; & hac de causâ, & propter ver-
ba quædam, à ministris Cardinalis per aliquam iactantiam dicta^c,
idem Musottus non modicam suspicionem in seipso & in aliis
nutriebat; qui Seripando demortuo cum in Lotharingi familiam
cooptaretur, scriberetque narrationem huiusce Concilij, sapius
à nobis productam, mentem in se pronam patefacit ad deteriora fa-
cilè credenda, sicuti mos est omnium ferè aulicorum mediocri in-
telligentiâ, existimantium idcirco se acutiores haberi, remotiores-
que à crassiorum hominum simplicitate. Quoniam autem missit
id temporis ad Pontificem Lotharingus Bertonus, qui sibi à se-
cretis erat, non defuerunt in ea missione, alioquin benevolentia
& obsequij plena, sua suspitioni alimenta^d; cum iactaretur,
id ab illo fieri, quòd à compluribus sibi Romæ intimis ea coram
Bertono concederentur arcana, quæ illi paginis committere non
audebant.

Multò deterior opinio Tridenti erat, & Romæ spargebatur, de
Lansaco^e; qui de ea edoctus ab Insulano, acceptoque ab eodem vel
exemplari eorum, quæ de ipso ad Borromæum scripserat Simoneta,
acriter conquestus est apud Gualterium, cum hic litteras Pon-
tificias reddidit: sed de cetero præstitum sibi officium, & cum of-
ficio sequestrum alacri animo accepit; cum verò ad rei periclitati-
onem ventum est, nequaquam ita foedum vultum præ se tulit, ut
in imagine fuerat expictum.

Hisce insimulationibus par Galli reddebant. Etenim Insulanus;
ipse auersum à Gualterio animum gerens^f, scripsit ad Lotharin-
gum, ut ab eo sibi caueret tamquam ab inimico, qui studuerat Lo-
tharingum quasi hæreticum Pontifici describere. Sed Cardinalis in
consuetudine cum Gualterio captus peculiaribus ingenuitatis cha-
racteribus, qui ferè semper persuadent, & ferè numquam decipiunt,
epistolæ fidem non habuit, sed eam cum Gualterio communicavit
(periculum sinistris narrationibus admodum frequens) ac postea in
responsione argumenta omnino contrariæ persuasionis edidit. Cum
hisce priuatis de Gualterio significationibus, publicas de causa so-
ciabat: auditâ siquidem in primis conuentibus prolixitate ac su-
perfluitate, quâ illa de septimo Canone controuersia agitabatur,
rem

rem coram omnibus improbauit⁵: nihil tunc Dei obsequio conducere altercationes in eiusmodi quæstionibus, quàm periculosissimam infructuosam: in Cæsaris mensa voces ea de re institutas, vituperationem offensionemque sonantes; quanto maiorem offensionem futuram, si huiusmodi litis exitus persuaderet, ea per animi perturbationem, vilitatisque cupiditatem fuisse peracta? Adiecit subridens, se minimè consentire, vt sibi præterita prorogatio assignaretur, nec velle suum illi nomen subscribere, cum animaduertiret, rem tam lentè procedere, & adhuc tam procul à meta.

4 Nec cessabant Hispanienses ministri omnem industriam adhibere, quâ suos Præsules retraherent ab eo impetu controuersiarum, haud tempori congruentium, & quæ aut efficere, aut significare possent parum coniunctionis inter Caput & membra Ecclesiæ Catholicæ: cumque compertum esset, communibus responsis semper propitiis peculiaria facta minimè respondere, credidit Piscarius, id fortassis euenire ex debili Paghani, qui sibi à secretis erat, auctoritate. Proinde postremis Pontificis petitionibus, quas diximus, inflammatus, voluit pro eo quod per suam responsionem indicauerat, eam corroborare, misso ad id Senatore Molino. Sed vbi dissimilis opinio in æmulationem abiit, & appetendi facultas intelligendi facultatem sibi mancipauit, nemo sufficit è sequestris, cum suscepta semel causa, Dei causa nominetur & censeatur: præterquam quòd sibi persuaserant Hispani, eum esse ministrorum sensum, regali nomine velut extimè inauratum, aut certè Regem haud progressurum vitramoderatas cohortationes, quæ vt carent metus acumine, ita calcar hebes euadunt. Et quædam res accidit, quæ illorum Præsulum animum vehementer exacerbauit, simulque Lotharigo stomachum mouit, eorum vitio, qui, sicut ad Borromæum Gualterus scripsit⁴, se vnicos Pontificiæ auctoritatis propugnatores ostentantes, ad eam oppugnandam alios prouocabant.

5 Kalendis Decembris* Melchior Auosinedianus Episcopus Guadicensis sententiam suam exponens de Canonis propositi verbis, vbi habebatur, Episcopos à Romano Pontifice vocari in partem sollicitudinis, & ab eo assumptos esse veros Episcopos, obiecit; Latiniorem minusque limitatam dictionem adhibendam esse, propter eam quòd si quis secundum Apostolorum Nicenæque Synodi Canones eligeretur, verus Episcopus euadebat, tametsi à Romano Pontifice non assumptus; quando iidem Canones dicunt illum esse initiandum consecrandumque à Metropolitano, nullâ factâ Romani Pontificis mentione: nec eam consuetudinem in Ecclesia

1562.
Litteræ
Gualterij &
Legatorum
ad Borromæum, 27 &
ultimo No-
uembris.
1562.

6 Litteræ Vicecomitis ad Borrom. 27. & ultimo Nouembris 1562.

7 5. Decembris 1562.
8 Præter Acta Arcis Medice, epistola Oratoris Florentini ad Duces,
9 3. Decembris, & Legatorum ac Vicecomitis ad Borromæum, prima 2. altera 3. Decembris 1562.
& Iadrensis ad Corneliū, & Fuscarij ad Moronum etiam 3. Decemb.

Historia
Concilij Tridentini
Lib. 19. Cap. 273.

1562. vniuersalem videri, vt summus Pontifex eligat; Chrysoftomum, Nicolaum, Ambrosium, Augustinum, & alios fuisse quidem Episcopos, à Romano Pontifice non electos: quin etiam ab Archiepiscopo Salisburgensi quatuor Suffraganeos suos Episcopos creati, nihil in eo auctoritatis exercent Romano Pontifice. Ad hæc Simo-
 neta, ne opinio illa radices ageret, ipsum placidè interpellauit, monuitque, id fieri à Salisburgensi ex auctoritate ac priuilegio Pontificio. Cùm autem Auosmedianus rogaret, vt sibi sermonem prosequi concederetur ad suam sententiam exponendam, quidam studio siue immoderato siue affectato conclamantur, *Dimittatur*: alij in vocem *Anathema*, & contumelias proruperunt; alij conati sunt aut pedum suppositione aut sibilo eum impedire. Connumeratos inter ardentiores comperio Thomam Caselium Episcopum Cauensem, Ægidium Falcettam, qui nondum Cauriensem Episcopatum reliquerat, & quod mirabilius est ex viri dignitate, Ioannem Triuisianum Venetiarum Patriarcham. Verùm id quod omnes transiit immoderationis imprudentiæque fines, fuit culpæ dilatatio ab vno capite ad integram nationem; vnde pro vno capite lacescita est tamquam aduersaria integra natio: siquidem fuit qui dixit, *Plus molestia nobis infertur ab istis Hispanis qui Catholicos agunt, quàm ab ipsis hereticis.* Tum iracundè Hispani: *Heretici estis vos.* In tam graui perturbatione vix impetrarunt Legati, vt permitteretur Auosmediano sermonem prosequi; quem appositè profecutus, cunctorum quæ dixerat sanam sententiam explicauit. Quamquam opus non sit, vt omnes Episcopi nominatim à Pontifice assumantur, omnes tamen Episcopos adstringi ad Romanum Pontificem tamquam supremum colendum: esse in eo plenitudinem iurisdictionis; sed vsum ac materiam, quam ille Episcopis destinabat, non posse absque iusta & rationi consentanea causa ipsis auferri: declarandum planè esse, Episcopos iure Diuino superiores esse meris Presbyteris. Dein admirationem ostendit, ob tragædiam in sua dicta excitatam: ferendam non esse sententiam in id quod integrè auditum non est: si quis eas voces audiret, *Non est Deus*, nec illis adnexas audiret, *dixit insipiens*, posset blasphemiam p̄salem damnare. Ita contigisse illis Patribus in ipso damnando, quod commissuri non fuissent, si priùs ipsius mentem plenè percepissent. Illud certe ad sui comprobationem sibi non deesse, quòd ter Synodo interfuerit sub Paulo, Iulio, & Pio, tunc Doctorem conditione, nunc Episcopum dignitate. Sic ille locutus est, & fidenter vt innocens, & modestè vt subditus, adeoque iudicia simul affectionesque sibi conciliauit.

Lotha.

6 Lotharingus excepto tam incondito fragore, dixit submissâ voce¹, à paucis auditâ, sed turbato vultu, à cunctis conspecto, *Hæc agendi ratio recta non est, nec eam in animum induxissim.* Postea verò cum eundem adiissent Vicecomes, & Vercellensis Antistes, dum ille ea de re loquebatur coram illis, & fortasse de industria, dixit: *Si quid huiusmodi Gallo cuiquam accidisset, actutum ego ab hoc conuentu ad Synodum liberio rem prouocassim.* Vbi verò licentiæ non consulatur, omnes in Galliam reuertemur. Ingens sanè insolentia fuit. Dum hæc diceret, adspiciens, aut simulans tunc planè à se conspici duos quos nominauimus Episcopos, sermonem præcidit. Significauit pariter in aliis colloquiis, si quid huiusmodi amplius accideret, aliquid de peculiari nationis Synodo cogitandum. Absurdum sibi videri, ad eò dominari nimiam animorum affectionem, vt Patres Concilij hæresim appellarent id quod hæresis non erat. Si animo recoluissem, quàm maturè antiqui Patres cuncta expendebant, antequam nomen cuiuspiam percellerent horrificâ illâ voce *Anathema*, eam tam leuiter prolaturus non fuisse in tam honestum Antistitem. Sed absurdissimum postea sibi accidere, vt pro vno, etiamsi fuisset hæreticus, ausi essent vniuersam nationem tam amplam & honoratam calumniis impetere. Quocircà statuit apud se, grauem commonitionem de facinore tam indecoro in proximè futuro cœtu ad Patres habere: quòd subodorati Præsides, operâ Gualterij conati sunt illum ab eo consilio blandè prudenterque dimouere, suæ ipsorum auctoritatis solliciti, ad quos vnice id muneris spectare videbatur.

7 Porro ne ipsi admissæ culpæ negligentiam præ se ferrent^m, posttridie in conuentu Mantuanus dixitⁿ: Cum præscribendus esset futura Sessioni dies antequam octauus ex Decreto effluxisset, proponi à se decimum septimum Decembris statuendum; & quòd celerius quæ opus erant pararentur, quotidianos cœtus esse congeminandos (id Lotharingus postularat^o, & idoneum erat ad extinguendam affectatæ dilationis famam) quòd si nihilominus eo die paratum non esset quidquid in antea cta Sessione destinatum, posteaque in conuentibus propositum fuerat, stabilirentur certè quàm possent plurima: verùm quamcumque Præsidium solertiam irritam fore, nisi Patres suam operam contulissent. Eapropter se illos hortari ac rogare per summam efficaciam ad consilium Ecclesiastæ custodiendum: *In multitudine Presbyterorum noli esse loquax.* Quòd ab ipsis præstitum iri, si studerent sententias breuiter ac pacatè dicere, amputatis digressionibus, rebusque, quæ iam ab aliis expensæ fuerant,

M m 2

non

1562.
Acta Pa-
lecti, & nar-
ratio Orato-
ris Veneti.

m Epist. ad
Borromeum,
3. Decembris
1562.
n Eius verba
extant in
Diario 2. De-
cembr. & fu-
suis in Actis
Arcis Eliae.
o Litteræ
Gualterij ad
Borrom.
29. Nouem-
bris 1562.

Historia
Concilij Tridentini
Lib. III.

1562. non iteratis; simul etiam, si singuli charitatem ac reuerentiam col-
legæ, non iram ac fel aduersarij præ se ferrent. Cauent præcipue
à tumultu ac indignitate diei præteritæ; aliter abituros è conuentu
Legatos, ne tam incompositas actiones coràm tolerarent ipsi, qui
Pontificis personam gerebant, præter reuerentiam debitam duobus
præstantissimis Cardinalibus, Oratoribus, quos complures poten-
tissimi Principes legarant, & tot sanctissimis Patribus.

Lotharingus, qui primus reliquorum omnium sententiam dice-
bat, iis quæ proposita fuerant in cunctis partibus assensus est; &
quasi laudaturus postrema dicta Mantuani, sibi aditum aperuit ad
modestè grauiusque castigandum tumultum excitatum, eosque
potissimum, qui protulerunt in Guadicensem *Anathema: combu-
tur: hæreticus est.* Ea verba digna non esse, quæ in eo confesso tam
leuiter pronuntiarentur: atque ad id subdidit, sibi non probari
quod denuntiatum fuerat quasi ad corrigendas in posterum eius-
modi noxas, nimirum discessum Legatorum è conuentu; id non
cessurum in pœnam, sed in præmium audaciorum, qui si tantum
audebant coràm Legatis, in quam audaciam prolapsuri essent hoc
fræno soluti? aptiorem animaduersionem excogitandam esse in
eum, qui tam venerandum auditorium tam modicè venerabatur.

Lotharingi verba nihil displicere Legatis, quippe quæ neminem
peculiariter obiurgabant, dicebanturque non quasi ab eo, qui sibi
capitis auctoritatem arrogaret, sed qui sua capitis dicto conforma-
ret; & supra centum ex Patribus Lotharingi sensa commendarunt.
Sed Caselius, qui intelligebat, eam obiurgationem generatim di-
ctam magna ex parte in se cadere, cum dicendi locum habuit, haud
se continuit, quod minus quædam interfereret extra thema, & extra
prudentiam, adeò vt à Legatis & Vicecomite apud Borromæum
arrogantiæ titulo notata fuerint, vtpote in Lotharingum directa.
Videlicet, vnum ex Legatis auditum à se fuisse; ipsis, non aliis se
obtemperare debere: si vellent Hispani aliorum dictis non peti-
causam ab illis præbendam non esse, hæreses proferendo. Quid-
quid pridie pronuntiarat de Guadicensis sermone, rectè fuisse pro-
nuntiatum, seque præstò esse ad id tuendum & in cœtu & extra
cœtum. Quæ verba cunctis molestiam crearunt, planeque effece-
runt, vt Caselius deteriore vniuersè de se opinionem exciuerit ex
defensione quàm ex culpa. Gualterio tamen, qui auctor fuerat Lo-
tharingo, ne sibi infensas correctoris partes assumeret, visus est ille
aliquantulum fuisse transgressus. Quare cum reprehensio suo pro-
ingenio acerba sit, & ægrè patientur homines in huiusmodi odioso
munere

¶ Arcana nota
Gualterij
ad Borro-
mæum, 3. De-
cemb. 1562.

munere plures superiores, quàm quos sibi leges imponunt, existi-
mauit commodè actum cum Lotharingo, quòd eo die acutioris
aerimoniar dicta non exceperit. 1562.

10 In destinando Sessionis die sententiæ variarunt, cum videretur
compluribus, plus spatij concedendum, aliud aliis designantibus:
sed centum viginti nouem diei proposito consensere.

9 Diarium,
2. Decembr.
1562.

11 Vix vnâ commotione præteritâ, altera excitata est, & in alterum
Hispanum, in postera diei conuentu. * Iacobus Gibertus à Nogue-
ra Episcopus Alifanus de re proposita differens, cœpit ostendere,
Episcopos etiam post mortem Redemptoris non fuisse electos, in-
stitutos & vocatos à Petro, sed à Christo, sicuti Mathiam ac Bar-
nabam, ideoque Petrum dixisse Domino: *Ostende quem elegeris: &*
affirmari à Chrystomo, Petrum in ea electione sententiam à Deo
latam pronuntiasse: huiusmodi electionem fuisse habitam per
actionem exteriorem ab Apostolis, dum Spiritus Sanctus dixit: Se-
gregate mihi, &c. Seiunctionem igitur, & consecrationem apud ho-
mines manere; sed potestatis collationem esse Christi opus, itidem
ac collationem efficaciar Sacramentis. Sed ab Ofio correctus est,
cum Mantuanus & Seripandus abessent: Huiusmodi dissertationes
nec conferre argumento, nec ad ædificationem, sed ad destructio-
nem valere; nec Episcopos decere de supremo ipsorum Principe
questionem agitare. Controuersiam cum hæreticis esse, an Episco-
pi electi à Romano Pontifice veri essent Episcopi, & à Christo insti-
tuti; & tamen quosdam illic audiri, qui è contrario affirmare aude-
rent, posse creari Episcopos quos Pontifex non assumpsisset. Ideir-
cò ne mirarentur, si nonnumquam dum sententias dicerent, inter-
pellarentur, quando rei propositæ, prout par erat, hæc minimè
respondebat. Sed Alifanus reposuit, dum iurisdictione Episcoporum
expendebatur, opus esse de Pontificia quoque differere. Cum Gra-
natensis ad Alifanum defendendum assurgeret, & ex altera parte Ca-
selius, quasi à Granatensi perstrictus: iam contentio & dilatabatur &
inflamabatur. Tum Simonetta nutu Caselium monuit vt taceret;
& ita reliqui, quibus ille obloquebatur, pariter conticuere; datusque
locus est Alifano prosequendi sermonis, quamquam non deessent
qui studerent ipsum impedire. Postquam is loquendi finem fecit, ite-
rum Ofius, comprobante Lotharingo illi proximo, dixit: Se quidem
existimare, cuncta in ea sacrosancta Synodo recto Religionis studio
proferri, sed veram controuersiam inter Catholicos & hæreticos in
eo solùm sitam esse, admittendi necne essent tanquam Episcopi le-
gitimi, ij qui à summo Pontifice eligerentur; à qua controuersia

7 Epistola
Legatorum
& Vicecomi-
tis ad Borro-
mæum, 3. &
6. Decem-
bris; & Ia-
drensis, ac
Fulcararij ad
Cornelium,
& Moro-
num, 3. De-
cemb. 1562.

M m 3.

alienas

Historia
Concilij Trid.
Sess III.

1562. alienas omnino esse disputationes illas, Num etiam legitimi Episcopi absque huiusmodi electione esse possent: quin dum hoc affirmabatur, adiuuari potius aduersarios quam impugnari. Sed Alifanus ex aduerso redordiri contentionem voluit; idcirco Simonetta illum & insolentem appellauit, & vt tandem locum aliis dicendi relinqueret, monuit. Quod cum videretur merito pronuntiatum in contentiosam hominis peruicaciam, nec vniuersæ Patres offendit, quasi libertatis violatio, nec peculiariter Hispanos, quasi nationis iniuria.

f Diarium 8.
& litteræ Legatorum ad Borromæum, 3. Decembris 1562.

f Diarium, Kalendis Decembris,

ff Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 10. Decembris 1562.

Duo per eos dies ibi vulgata sunt ^f ingentis momenti Rebus publicis, tum politicis tum sacris. Alterum, electum fuisse Regem Romanorum Maximilianum Bohemiæ Regem, primum Ferdinandi filium, Francofurti 24. Nouembris, eiusque parentem piâ constantiâ se gessisse, denegatis conditionibus hæresi fauentibus, quas tres illius sectæ Septemviri tamquam remunerationem flagitabant. Ad hosce nuntios Madruccius Cardinalis, Episcopus ac Princeps Tridentinus, & Beneficiarius Ferdinandi, dies festos illico celebrauit: Legati verò pronis erant animis ad idem agendum nomine Synodi solemni gratiarum sacrificio, & publicâ laudatione, cum Imperatorium Sceptrum collocatum fuisset in Principe Catholico, & ex familia vsque adeo benemerita de Religione; sed aliqua ipsis supererat dubitatio, fortasse ob exceptionem, quam Pontifices aliâs iure Maximiliano obiecerant; quamquam ab eo deleta videretur antiqua nota in hoc ipso conuentu: nam interrogatus à Protestantibus de rebus sinceritati Fidei Catholicæ repugnantibus responderat, Sibi certum esse in ea Fide viuere ac mori. Quod à Suauis animaduersum, non tamen eius ingenio styloque congruit, vt in minuta reliquarum conditionum narratione voluerit eius meminisse. Super eo itaque scripserunt ad Borromæum Legati, sed retentâ sibi facultate rei perficiendæ, responso non expectato: atque ita reipsa peregerunt, rati, perinde fore diu rem retardare, ac illam diu negare, adeoque flores iam aridos à se postea oblatum iri. Itaque octauo Decembris die, Conceptæ Virgini sacro, congeminatâ lætitiâ ex nuntiis peractæ coronationis, ea celebritas habita est. Sacrificium obtulit Muglitius Archiepiscopus Pragensis, Orator Cæsareus; latinam panegyrim dixit Sbardellatus: adfuerunt sex Cardinales, Oratores Principum, & omnes Synodi Patres. Cardinales, Oratores, & complures ex Patribus conuiuio excepti sunt per consuetum magnificæ lætitiæ officium, Cæsaris nomine, ab Archiepiscopo celebrante. Interim considerans Pontifex, Legatos sibi reseruare, ac quodammodo se parare ad ea publicæ gratulationis argumenta,

gumenta, rescriptis, Videri sibi, antequam eiusmodi celebritas in Concilio ageretur, exemplum suum expectandum esse: nec velle se quidquam mouere, donec à Cæsare ac filio debiti rei peractæ nuntij ad se deferrentur, simulque petitiones vt multa supplerentur de iure ac de facto, quæ ad efficaciam illius electionis desiderabantur. Sed triduo post nouum consilium suscepit, cum ad ipsum peruenisset tamquam à Maximiliano missus Ioannes Manriqueus, certâ fide pollicitus, eum Regem cuncta probi Catholicique Principis officia præstiturum. Quare comprobato Præsidum consilio, si peractum esset, præbitoque illi consensu, si adhuc penderet, ipsis iniunxit, vt præcedentem suam repugnantiam omnino celarent. Sed super hoc Maximiliani negotio nobis oportebit non semel calamum adhibere.

1562.
x Litteræ Borromæi ad Legatos, 12. Decembris 1562.
y Litteræ eiusdem ad eisdem, 15. Decembris 1562.

13 Alterum id temporis nuntiatum Tridenti, fuit obitus Antonij Borbonij, Vandomi Principis, & ob vxoris iura Nauarræ Regis renuntiati. Fauerat ille hugonottis, sicut alibi demostrauimus: postea cum animaduerneret, se hac viâ non modò ad speratam amplitudinem non ascendere, quin potiùs obstare sibi, ne à Philippo Rege regnum aut restitueretur aut compensaretur, cœpit pedetentim gradum referre; ita tamen se gerebat, vt nolens displicere Ioannæ vxori, ingenio magis quàm ipse virili, fratrique Ludouico Condeo Principi, qui natu minor, sed spiritu maior ac peior erat, haberetur potiùs hugonottus non sincerus, quàm sincerus Catholicus. Idcirco recusauerat postremò Hispanus Rex Antonij Nuntium priùs excipere, quàm cerneret in Gallia res meliùs se habentes: & cum Oratore Gallico discedendi veniam petente conquestus fuerat, Regem pupillum obsideri ab hominibus, qui studerent illum educare in Protestantium religione, orbemque terrarum peruertere, simul etiam denuntiauerat, nisi meliora inirentur consilia, se rebus consulturum, primo loco iis implicatis, qui nitebantur alios implicare. At verò Antonius Rex visus est paulatim, consilij Ferrariensis Cardinalis, aliorumque Catholicorum optimatum ad ingenij sui probitatem reuocatus, magis semper in animum reuocasse amorem veteris Religionis, à qua credebatur antea potiùs alienatus operâ per rationes pseudopoliticorum, quàm fide per argumenta hæreticorum; adeo vt in rebellantes hugonottos copias tandem eduxerit, & fistulæ tormentariæ glande vulneratus ad Rothomagum, post morbum diuturnum occubuerit illius ignis iniuriâ, quem ipse succenderat. Antonio demortuo, regis tutelæ iura deuenerant ad Carolum Cardinalem Borbonium illius fratrem, virum pacati ac pij, sed

Historia
Concilij Tridentini
Liber III.
Capitulum V.
De obitu Antonij Borbonij

1562. non ingentis animi, aptiorisque ut regeretur, quam ad regendum idonei; ex quo in nonnullis orta est opinio, Lotharingum in Galliam reuersurum^a, quod administrationis lora suis imposita manibus speraret. Hic, quippe affinis defuncti Regis, se abstinuit à colloquio, quod ab ipso Legati paulò antè petierant^a eo die, quo peruenerat tabellarius; & die postero officia eius vicem dolentium ab ipsis accepit. Verba fecere de iis, quæ posset Pontifex impendere in salutem regij filij hæretici, qui septimum ætatis annum compleuerat, matris & magistri hugonotti operâ in religione pessimè nutritus. Verùm Lotharingus re diu perpensâ censuit, peculiaria postulata id temporis tentanda non esse. Quamobrem Legati id consilij dedere Pontifici, ut ipse rei procuracionem commendaret Ferrariæ Cardinali, qui tamen antea reditum adornarat, putabatur tamen casus illius causâ substiturus, discreturusque eas opportunitates, quæ ut benè dispiciantur, opus habent oculo non solum acuto, sed propinquo; cum humana mens erga res quasdam se habeat sicuti gustus erga sapes, qui quantumuis acuminis habeat, eos non percipit, nisi tangat.

^a Litteræ Gualterij ad Borromæum, 6 Decembris 1562.
^b Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6 & 7 Decemb. 1562.

CAPVT VI.

Lotharingi oratio; & noua Canonum forma ab eo proposita. Reliquorum Gallorum sententia. Varia opinamenta de altera propositione Lotharingi.

^a Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6 Decembr. & Fufcararij ad Moronum, 7 Decemb. 1562.
^b Litteræ Gualterij ad Borromæum, 3 Decembris 1562.

PRidie quàm mors Antonij nuntiaretur, Lotharingus ex improviso^a sententiam suam exposuit, nondum auditis cunctis aliarum nationum Patribus, sicut antea in animo habuerat. Sed præuerrere voluit, propterea quod expertus fuerat, per eam hinc mem se identidem ita opprimi pituitâ, ut raucus euaderet; idcirco cum se liberum sensit, noluit vsuram vocis diutiùs retardare. Per eos dies familiariter is egerat cum Seripando^b, idque Gualterij solertiâ; qui cum sciret, huic Legato tribui à Lotharingo multo amplius quàm reliquis omnibus in Theologica doctrina, sicuti ceteroquin in amore ac reuerentia præ cunctis Mantuanum haberi; sperauerat à Seripando, subductis ab illius animo quibusdam principijs & argumentis, quæ idem in scholis hauserat, eum facile ad suas partes adductum iri, quippe voluntate propensum, & scientiâ inferioriorem. Maximè verò, quia illius Principis mens, ut quidam opinabantur, speciosior erat quàm robusta; in rebus intelligendis clara,